



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Liber Theologiæ Moralis, Viginti Qvatvor Societatis Iesv Doctoribvs Reseratvs**

**Escobar y Mendoza, Antonio de**

**Lvgdvni, 1659**

III. De Ministro, & suscipiente.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41066**

## CAPVT III.

*De Ministro, & suscipiente.*

§. 1.  
Minister  
Sacra-  
menti.

9. **Q**uamvisnam Sacramentorum Minister? Vnus homo, non quicumque, sed qui ritè in Ecclesia sit initiatus, Baptismo, ac Matrimonio duntaxat exceptis.

10. *An Ministri intentio sit necessaria?* Porrò intentio ac voluntas faciendi, quod Christus instituit, omnino ad Sacramentum perficiendum est necessaria. *Quanam intentio?* Actualis est optima sed non necessaria: virtualis sufficit, & necessariò requiritur, nam habitualis insufficientis est.

11. *Obest aut infidelitas, aut malitia ministri Sacramenti?* Minimè, modò cetera requisita non desint; quia diuinà Christi virtute operatur.

12. *Quanam Ministro obseruanda sunt ex præcepto?* Quatuor, Primò, vt debita adsit potestas tum Sacramentum conficiendi, tum confectum licitè ministrandi, siue quia nulla sit censura prohibitus, siue quia conuenientem obtineat iurisdictionem. Secundò, vt consuetas Sacramentorum materias & formas in vsu retineat; alioquin si aut aliquid in eis ad substantiam pertinens immuet, aut materiam, quam Ecclesia præscripsit, non obseruet, lethale peccatum admittit. Tertio, vt se ad gratiam per actionem pareat vt minimum, quam tamen ipse contritionem existimet; alioquin si et officio Sacramentum ministrat, illud conficiendo, se gratiam in culpa esse deprehendens, mortaliter peccat; non ita qui in necessitate Sacramentum confert. Quartò denique, vt eas in Sacramento ministrando caeremonias ac ritus obseruet quos Ecclesia Spiritu sancto edocta præscripsit.

§. 2.  
Suscep-  
tor Sa-  
cramen-

13. *Quanam capax suscipiendi Sacramenta?* Solus homo hac in vita degens.

14. *Quanam ei obseruanda?* Duo præcipuè. Primum, vt Sacramenta aliquando suscipiat, siue quia aliquod eorum absolute necessarium sit, siue quia ob vrgentem aliquam temptationem, aut circumstantiam, ad ea confugere sit necessum. Secundum verò, vt tam ex parte Sacramenti omnia illa exhibeat, quæ & ad substantiam ipsius, & ad conuenientem ei præcepto modum requiruntur, v. gr. intentio debita, capacitas, & concursus actiuus, vbi ille necessarius est: quàm ex parte dispositionis ita paratus accedat, vt saltem Igra-

tiam iustificantem, quæ principalis effectus est, recipere possit.

15. *Num possit ab omnibus Ministris Sacramenta petere?* Ab eo non debet petere, qui siue validè, siue licitè dare non possit. Neque ab eo, quem certò nouit in peccato daturum, nisi fortè aut seruandi præcepti necessitas, aut alterius ministri defectus excuset. Absolutè tamen petere, vel accipere Sacramentum ab eo, qui cum possit dignè dare, ex malitia tantùm sua dignus non est ad ministrandum, nullum iudico esse peccatum, quia ab eo actu potest per se eiusmodi separari malitia.

---

CAPVT IV.

*De Sacramentorum effectibus.*

16. *Quinam præcipuus Sacramentorum effectus?* Primus quidem est gratia eaque iustificans, quam ex opere operato ab omnibus Sacramentis effici de fide est. Illam virtutes ac dona consequuntur. Præter hanc vnumquodque suam specialiter efficit, quam sola quadam ratione à communi illa distinctam esse reor. Vtramque quidem secundùm propriam quisque mensuram, & dispositionem accipit, non diuino solo beneplacito, aut merito, seu impetratione ministri. Profectò prior semper confertur, obicem non ponenti in ipsomet receptionis momento: posterior verò quando ea gratia opus erit ad actiones ab eo Sacramento dependentes. Illam porrò Sacramenta tanquam separata instrumenta efficiunt, & probabile quidem est ad modum causæ physicae, probabilius autem ad modum causæ moralis.

17. *Alterum minus principalem effectum Sacramentorum assigna.* Character est, qualitas videlicet supernaturalis, & spiritalis, in animæ substantialia per habitus modum impressa, cuius munus est aptum reddere ad diuinum cultum, configurare nos Christo, & à cæteris siue infidelibus in Baptismo, siue trepidis ob persecutionem in Confirmatione, siue à secularibus in Ordine, quasi facto quodam signo, notatè distinguere.

18. *Propria characteris quam?* Primò, vt deleri nunquam possit, cum semel est habitus, & si vnum Christum excipias, in cæteris omnibus noui Testamenti patribus vna cum ipsius sanctissima Matre, iure optimo ponitur. Secundò, vt